



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Aliud, de manu Moysis leprosa, & integre sanata. Cap. XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

ANNO  
CHRISTI  
431.

non ignorant tamen quod Deus sit viuificus, causa erit vitæ, & dat posse animalia venenosa vitare, id est, contrarias potestates. Id quoque huius rei figura sit, quod Moysis virga alias deuoraret, quas in terram magi proiecerant. Igitur virga quidem in terram projecta est, non tamen serpens remansit: resumpta autem, fuit quod erat. Nam licet facta sit, vt ante dixi, in similitudine nostra Patris virga, id est Filius, per quem habet omnium potestatem; hæc tamen impleta dispensatione reuolauit in cælum, & fuit iterum tamquam in manu Patris, virga æquitatis ac regni. Sedet enim ad dexteram Genitoris sui propria maiestate, sedes altissimas obtinens & cum carne.

Exod. 7.

Psal. 44.  
Marc. 16.

*Aliud, de manu Moysis leprosa, & integre sanata.*

CAP. XVI.

**D**IXIT autem ad eum iterum Dominus Deus: *Iterum infer manum tuam in sinum tuum. Et intulit manum in sinum suum; & protulit manum de sinu suo; & facta est manus eius tamquam nix. Et dixit iterum: Infer manum tuam in sinum tuum. Et intulit manum in sinum suum; & protulit eam de sinu suo, & iterum restituta est in colorem carnis suæ.* Manum & dexteram Dei & Patris, Verbum & Filium eius diuina scriptura nominat. Induxit enim ipsum dicentem: *Ego enim manum meam firmavi calum.* Nec non etiam Dauid diuinus cantat: *Verbo Domini celi firmati sunt.* Cerne igitur, in sinu quidem Moysis adhuc manum eius occultari, & nondum factam leprosam, prolata vero & statim leprosam factam; deinde mox illatam, & rursus prolata, & de cetero non leprosam. *Restituta est enim, inquit, in colorem carnis eius.* Ergo quamdiu quidem erat in sinu Patris Deus Verbum, diuinitatis natura fulgebat: verum quoniam aliquo modo extra fuerat per incarnationem, siue *\*inhumanationem; Factus est in similitudine carnis peccati, & inter iniquos reputatus est.* Ait enim diuinus Paulus: *Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso.* Hoc existimo lepra significari. Immundus enim secundum legem leprosus. Sed quoniam iterum fuerit in Patris sinu (assumptus est enim post resurrectionem a mortuis) prolata iterum manus videbitur munda. Adueniet enim, adueniet per tempora Dominus noster Iesus Christus in sinceritate diuinitatis & gloriæ, quamuis similitudinem nostram non proiecerit. Ait enim & beatus Paulus de Christo: *Quia semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.* Ergo quoties nobis sacræ literæ nominant Christum Iesum, ne hominem seorsum putaueris non vere adunatum ipsi Deo Verbo: sed existimaueris magis ipsum esse ex Deo & Patre Verbum Iesum Christum, cum factus sit homo.

Exod. 4.

Isa. 48.

Psal. 32.

Exod. 4.

Rom. 8.

Isa. 53.

2. Cor. 5.

Leuit. 13.

Marc. 16.

Act. 1.

Hebr. 9.

\* inuoluntari,